

integrum, è quo tamen sententiam concipere valde periculofum fuerit. Qualitas autem hæc non debet considerari tempore actus perpetrati, super quo testis examinandus est; sed tempore depositionis, id est, quando examinari, & veritatem dicere debet tum enim si ignotus fuerit, omninò rejiciendus est, per l. 3. §. 5. ff. de Testibus l. 3. §. 5. ff. de Carbon. Edict. Bernh. Zieritz. ad h. artic. pag. 78.

IV. Limitatio, si nimirum producens evidenter & claris argumentis probare possit, testes esse integræ fidei, bonæ famæ atque inculpatae vitæ; nam quòd rejiciantur testes, illud ideò fit, quia de illorum vita, moribus & fide non constat, quod si verò probetur à producente, illos esse dignos, integros & honestos, quod tamen in specie articulare & probare oportet. Prosper. Farinac. l. 1. tit. 6. qv. 62. numer. 7. 8. fol. 201. de Testibus, tum cessat rejectio testium, quia causa rejectionis cessat.

ARTIC. LXIV.

De pretio corruptis testibus.

Von belohnten Zeugen.

Belohnte Zeugen sind auch verworffen / und nicht zulässig / sondern heimlich zu straffen.

AD ARTIC. LXIV.

ARGUMENTUM.

Testes pecuniis corrupti, vel promissionibus ad dicendum testimonium inducti, non modo rejiciendi, sed insuper etiam puniendi sunt.

EXEGESIS.

Testis corruptus is dicitur, qui vel mercedem accepit ad dicendum testimonium & quidem in favorem ejus, qui ei dedit præmium: l. 3. §. 5. ff. de Testib. c. 9. Ext. de Testib. Thom. Metzger. Conf. 25. num. 38. pag. 262. Vel qui promissionibus inescatus est ad testificandum perinde enim est, si ve reapse acceperit mercedem: vel à promittente eam adhuc expectet. Mascard. Vol. 1. Conclus. 454. numer. 5. fol. 735 de Probat.

Ff 2

II. Ejus.